

enim præ cæteris est privilegiata, adeo ut illam allegans non egeat titulum allegare, quia hic ex diuturnitate temporis præsumitur: nec ipsa intelligitur exclusa in Legge, vel privilegio, licet generaliter præscriptio excludatur: sed est necessarium, quod prohibeatur specialiter. *Arg. c. 81. de Reg. jur. in 6.* Et si præscribens est capax possessionis rei præscriptæ, talis præscriptio habet locum privilegij Principis. *L. 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. c. 6. D. 65. c. 26. de V. S. juncta Glof. ibid. V. Non extat.* Et possunt hac præscriptione adquiri ea quæ alias non possunt præscribi, dum præscribens sit capax ea possidendi. Sic in Nostra Hispania possunt præscribi tempore immemoriali, & non minori spatio contra Regem, Civitates, Villæ, Oppida, jurisdictionis civilis, & criminalis, meum, & mixtum imperium, (excepto Supremo Regis imperio) aliaque jura ipsis annexa. *L. 1. tit. 15. lib. 4. R. C.* Etiam si non detur scientia, & patientia ex parte Regis: nec minus spatium esset necessarium, etiam si scientia, & patientia Regis daretur. Ut ibid. notat *Acevedo*. Mineræ, seu Fodina, Salina, & Tertia, licet sint de juribus Regalibus, tamen pertinent ad Regium patrimonium, & sic tempore immemoriali præscribuntur. Similiter præscribuntur Tabelliones instituendi facultas, vectigalium inductio, illegitimum legitimandum potestas, & alia hujusmodi, ut constat ex *L. 2. tit. 13. lib. 6. R. C. l. 1. tit. 1. l. 16. l. 17. tit. 27. lib. 9. R. C. Acevedo. in l. 1. tit. 15. lib. 4. R. C. alios citans.* Si adsit titulus potest jurisdictionis 40. annis præscribi. *Acevedo. in l. 1. tit. 15. lib. 4. R. C. n. 3.* Modus enim probandi possessionem immemoriam specificè affertur in *L. 1. tit. 7. lib. 5. R. C.*

254 præscriptio, quæ ab initio bene coepit: quia omnia habebat requisita ad præscribendum necessaria, solet ex post facto impediri. Nam aliquando interrumpitur: aliquando dormit: aliquando, etiam postquam est perfecta, rescinditur. *Interrumpitur* quidem, quando ita cessat, ut si postea rursus ea res præscribatur, non continuatur præscriptio cum antecedenti, nec antecedentis tempus computetur quoad præscribendum cum sequenti. *c. 8. b. t. l. 29. tit. 29. p. 3.* Et duplex potest esse interruptio, *naturalis*, scilicet, & *civilis*. *Naturaliter* quidem interrumpitur, si aliquid requisitum deficiat, postquam præscriptio inchoata est, v. g. si desit bona fides in præscribente: vel si possessio amittatur. *L. 5. ff. de Usucap. l. 29. tit. 29.*

*p. 3. l. 7. tit. 15. lib. 4. R. C.* quod intelligitur de possessione civili: nam defectus possessionis naturalis non obest continuationi usucapionis, seu præscriptionis, ut bene notat *Greg. Lop.* in dicta *L. 29. Civilitate* interrumpitur præscriptio, quando extinguitur per aliquem actum juridicum, ut fit per sententiam judicalem, quæ quidem directè tendat contra præscriptionem: nam si alios articulos concernat, præscriptioni non nocet. Per citationem tamen, vel etiam per litis contestationem non verè interrumpitur; sed solum sub conditione, si præscribens succumbat: quod si absolvatur, præscriptio censetur continuata, ac si per litis contestationem non fuisset interrupta. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 78. n. 14.* In Nostra Hispania per citationem judicalem interrumpitur præscriptio: ita ut postea secuta sententia contra præscribentem, censetur præscriptio à tempore citationis interrupta. *L. 29. tit. 29. p. 3.* Imò hodie quæcumque citatio, vel reconventio, vel denuntiatio, etiam extrajudicialis, si præscribentem in mala fide constituat, sufficit ad interrompendam præscriptionem, siquidem hæc in omnibus, & singulis momentis non in eadem requirit. *c. fin. b. t. Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 78. n. 17. Greg. Lop. in l. 29. tit. 29. p. 3. V. le fuisse emplazar.* Sententia excommunicationis, quæ in Cæna Domini quotannis promulgatur contra occupantes bona ad R. Ecclesiam pertinentia tantum fertur in malæ fidei, non in bonæ fidei possessores, ac proinde non interrumpit præscriptionem, quæ bona fide contra illius bona est inchoata. *Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 78. n. 18. Covar. & alij contra Felin. & alios. Dormit* præscriptio, cum suspenditur, postquam legitime est inchoata, adveniente scilicet aliquo impedimento, quo sublato continuatur. Siquidem tempus non currit impedito, seu non valenti agere. *L. 1. C. de Annal. except.* sic dormit præscriptio contra Ecclesiam, quando hæc caret immediato Prælato, etiam si alios, mediatos tamen, habeat. *c. 4. b. t. c. 1. c. fin. Ne Sede vacant.* vel si Prælati est impeditus, & non potest agere, quia est captivus, excommunicatus, vel suspensus. Etiam tempore belli dormit. Idem est de tempore hostilitatis, vel pestis, vel similis impedimenti. *c. 10. b. t. Molina de Just. & jur. tr. 2. D. 78. n. 7. & 9.* Sic etiam dormit contra pupillum tempore pupillaris ætatis. *L. 3. c. de Præscript. 30. vel 40. annor. adversus mulierem, quoad fundum dotalem, ven-*

## TIT. XXVII.

## De Sententia, &amp; re judicata.

255 **S**ententia, sic à sententiâ dicta, est Judicis pronuntiatio super re à litigantibus in judicio proposita, quæ vel reum absolvit, vel condemnat, vel declarat incurrisse penam à Lege statutam. Et ab his effectibus absolutoria, condemnatoria, vel declinatoria indigatur. *L. 1. l. 2. tit. 22. p. 3.* Tripliciter potest considerari sententia: alia quæ est præceptum, alia definitiva, interlocutoria alia. Præceptum est quod à Judice imponitur debitori contenti debitum, ut illud solvat. Si verò Judex, parte inaudita, jubeat ipsi aliquid solvere, vel si Judex comminetur, quod si intra tale tempus aliquid non solvatur, debeat solvi duplicatum, non habet vim sententiæ, nec præcepti. *L. 22. tit. 22. p. 3. Et ibid. Gr. g. Lop. V. Amenaza.* Sententia definitiva est, quæ definit, & terminat litem quoad eam instantiam. *c. 2. b. t. l. 2. tit. 22. p. 3.* Et hæc propriissime sententiæ sibi vendicat nomen, ac proinde si in aliquo statuto fiat sententiæ mentio, in dubio de definitiva intelligitur: quia etiam interlocutoria proprie sententia sit ex *L. 39. ff. de Minor. l. 2. tit. 22. p. 3.* tamen definitiva est omnium nobilior, & principalior species: & semel ac proferata definitiva, non potest ab eodem Judice revocari. *L. 2. tit. 22. p. 3.* quia quoad eam causam functus est Judex officio suo, ita ut desinat esse Judex. *L. 55. ff. de Re judicat.* Et quidem non de facili est etiam ab alio Judice revocanda, sed potius debet confirmari à Judice Superiore, si ab ea appellatur, nisi forte injusta sit. Sed in dubio potius pro ea, quam contra eam præsumendum est, donec de ejus injustitia constet. Nec Pontifex censetur velle revocare per Rescriptum, etiam motu proprio expeditum, sententiam prius ab eo latam, nisi illius faciat mentionem. Et beneficii collatio per tale Rescriptum facta est invalida ex *c. 12. b. t.* Sententia tandem interlocutoria est, quæ quasi interloquendo dicitur, inter principium, & finem causæ, non quidem super principali questione, & controversia, sed solum super aliquo articulo incidenti pronuntiat: v. g. de libello emendando, de admittendo, vel repellendo procuratore, de ejus mandato validò vel invalido, sufficienti, vel insufficienti, declarando, de testibus, instrumentis, vel

vente marito dormit similiter præscriptio: idem est adversus filium, quoad adventitia bona, tempore, quo est in patria potestate. *Auth. Nisi tricennæ. C. de Bonis matern. l. 8. tit. 29. p. 3.* quia neque maritus, neque pater habentur legitimi Administratores prædictorum bonorum: sicut habentur Curator, & Prælati, sed sunt jure proprio usufructuarij fundi dotalis, & bonorum adventitiorum, & consequenter non adscribuntur uxori, nec filio, quæ ipsi agunt, sicut adscribuntur acta ab Administratore illi, pro quo administrat. Et adeo præscriptio currit contra minorem puberem, & Ecclesiam administratoribus instructos, & non currit contra uxorem, & filium. Denique post completam præscriptionem, hæc potest rescindi per restitutionem in integrum. Et quidem. 1. à Minoribus intra quadriennium integrum ab anno 25. completo. *L. un. C. Si adversus usucap. 2. ab Ecclesijs, & alijs locis pijs intra quadriennium à die, quo potuerunt petere restitutionem. Arg. c. 1. c. 2. de Restit. in integr. in 6. 3. à Civitatibus, & Oppidis intra quadriennium à die notitiæ lesionis. L. 7. tit. 29. p. 3. 4. à Majoribus ex justa causa. L. 1. §. fin. ff. de quib. caus. major. Ipsi equidem intra quadriennium, à tempore, quo impedimentum cessavit, possunt restitutionem petere: v. g. si abseruerint causa Republicæ, vel boni communis, vel si fuerint in bello, vel in peregrinatione, vel in Univeritate causa studiorum: vel si fuerint ab hostibus, vel latronibus capti, vel aliter justè impediti. *L. 28. tit. 29. p. 3.* Quando igitur venit in Domini notitiam, quod sua res ab alio præscribitur, debet contra præscriptionem, & præscribentem reclamare: quod si præscribens haberi non potest, quia abiens est, vel incidit in furor, vel mortuus est, infante herede relicto, qui non habet Tutorem: vel si fortè præscribens est persona in magna dignitate constituta, vel valde potens, contra quam non audeat Dominus litigare: debet hoc denuntiare coram Judice, vel hoc deficiente, coram Episcopo loci, vel in ejus defectu ad domum præscribentis coram vicinis denuntiabit, seu protestationem faciet. Et sic interrumpetur præscriptio. *L. fin. tit. 29. p. 3.* Hanc difficile materiam in Univeritate Salmantina explicui tempore quod ibidem extraordinarium dicitur.*

privilegiis repellendis, vel non: de dilatione concedenda; vel neganda: uno verbo omnē Judicis præceptum pendente lite, dicitur sententia interlocutoria. *L. 2. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. De otras semejantes.* Aliquando tamen post hujusmodi sententiam alia non speratur, & tunc definitivæ æquivaler. Talis est sententia, qua reus absolvitur ab instantia judicij, seu à judicij observatione: vel qua parti defertur juramentum, vel quando Judex, se competentem, vel incompetentem pronuntiat: vel si pronuntiet, appellationem esse desertam, vel si admittat, vel rejiciat exceptionem peremptoriam, & alia hujusmodi. Sententia igitur interlocutoria ad distinctionem definitivæ potest ab eodem Judice, contrario imperio, ante definitivam, revocari. *L. 14. ff. de Re judicat. c. 60. de Appellat. l. 2. tit. 22. p. 3.* nisi forte habeat vim definitivæ, vel si est à Superiore confirmata, vel si ab ea est appellatum, & ejus appellatio est admittita, vel si lata est de utriusque partis consensu, vel si est executioni mandata: in his enim casibus non potest sententia interlocutoria ab eodem Judice revocari. Sententia definitiva, quando legitime lata est, varios effectus producit. Nam si pro actore feratur, ei, & illius heredibus competit actio in factum, quæ est personalis perpetua, & rei periculatoria, etiam contra rei heredes, ut reus adori præstet id, in quod est condemnatus; *arg. L. 8. C. de Rebus credit. l. 19. tit. 22. p. 3.* quæ quidem 30. annis durat. Si verò reus absolvatur, ei competit exceptio rei judicate contra actorem, & ejus heredes. *L. 14. ff. de Exception. rei judicat. l. 19. tit. 22. p. 3.* ne super illa re amplius in judicio vexetur. Aliquando etiam ex sententia definitiva resultat reo condemnato infamia, ut in judicij, & delictis publicis: v. g. adulterio, beneficio, & alijs: & in quatuor privatis judicij, & delictis, scilicet in furto, rapina, dolo, & injuria, & in aliquibus contractibus. *§. 2. Inst. de Poena temere lit. ibi: Ex quibusdam judicij damnati ignominiosi fiunt: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo, item tutela, mandati, depositi, directis non contrarijs actionibus.* Item pro socio, quæ ab utraque parte directa est.

256 Ut tamen sententia legitima sit, sequentes debet habere conditiones. 1. Debet esse libello conformis. *c. 24. in fin. de Accusation. Cl. 2. de V. S.* Quæ quidem conformitas in sequentibus debet consistere. 1. In re, quæ petitur, ut si petatur domus,

Judex non pronuntiet de æquo, vel si proprietatis petatur, non pronuntiet de possessione. Imò si res, quæ petitur potest in specie præstari, in specie præstari debet Judex decernere, nec suo muneri satisficiet, si jubeat affirmationem præstare. *L. fin. C. de Fideicom. lib. 1. l. 16. tit. 22. p. 3.* 2. Debet stare conformitas sententiæ, & libelli in causa petendi: v. g. si res ex donatione petatur, non debet ex alia causa adjudicari. 3. In actione: nam Judex secundum actionem in libello propositam, non autem secundum aliam pinguiorem pronuntiare debet: etiam si actor secundum eam petere potuisset. Sed si æquitas, vel necessitas suadeat potest Judex in aliquibus casibus, præcipue quoad circumstantias, recedere à libello. Imò in nostra Hispania, etiam si actor petat rem, allegando certam causam, & actionem, etiam si illa actum non habeat locum, nec res, ex illa causa debeatur, si tamen probent aliunde rem deberi, jubebit Judex eam restituere. Nam undecumque veritas constet, sufficit ad sententiam ferendam, quamvis aliqua desint solemnitates. *L. 3. tit. 22. p. 3.* Et expressius habetur in *L. 10. tit. 17. lib. 4. R. C. 2.* Sententia debet esse certa. *§. 3. inst. de Action. ibi: Curare debet Judex, ut omnino quantum possibile ei sit, certa pecunia, vel rei sententiam ferat, etiam si de incerta quantitate apud eum actum est. l. 3. tit. 22. p. 3.* Siquidem per sententiam incertam, lis non exinguitur: nisi forte actio in libello proposita solum incertam sententiam postulet: v. g. si petatur hereditas, vel si feratur sententia non assignatam quantitate, sed Judex se referat ad processum, ubi constare potest de certa quantitate petita: tunc utique valet sententia. *L. 16. tit. 22. p. 3.* Item si reum condemnet ad fructus, & expensas solvendas: nam sufficit, quod in executione sententiæ taxentur, & specificentur. 3. Sententia debet esse pure, non sub conditione proprie tali, lata. *L. 1. §. 5. ff. quando appelland.* Quippe cum de purificatione conditionis dubitetur non imponit finem controversiæ: v. g. si Judex pronuntiaret: *Condemno Titium ad trivemes, si delictum ipsi imputatum, est ab ipso commissum:* nam de hoc est questio. Si forte sub conditione sit lata potest condemnatus appellare: si non appellat, transit in rem judicatum. *L. 14. tit. 22. p. 3.* Et quidem condemnare, vel absolvere reum debet Judex per suam sententiam. *c. 3. de Accusat. L. 1. ff. de R. judicat. l. 2. tit. 22. p. 3.* ibi: *Sententia defi-*

nitiva, que quiere tanto decir, como juicio acabado, que da en la demanda principal fin, quitando, ó conmandando al demandado. Nec interest per quæ verba profertur, sive sit per verba formalia: *absolvo, vel condemno;* sive per æquivalentia declaro, teneri, vel non teneri solvere. In nostra Hispania sic solet profertur: *Vistos los Autos, y meritos de la causa, &c. fallamos, que debemos condenar, y condenamos à Juan Sanchez à que pague à Pedro Fernandez los cien pesos, &c. ó que debemos absolver, y absolvemos à Juan Sanchez de la demanda de cien pesos, &c. así lo sentenciamos, determinamos, y mandamos definitivamente juzgando, con parecer de Assessor.* Et Judex, & Assessor subscribunt. In causis, in quibus reus absolvitur ab instantia judicij, seu ab observatione instantiæ, sic fertur sententia. *Fallamos, que debemos absolver, y absolvemos al dicho Juan Sanchez, reo demandado en este pleyto de la instancia de este juicio, reservando, como reservamos, su derecho à salvo al dicho Pedro Fernandez, para que pueda pedir, y demandar al dicho Juan Sanchez, donde, quando, y como le convenga.* Alias sententias definitivas, & interlocutorias invenies apud Paz in *Praxi:* apud Villadiego, & alios. Nec est necesse, imò nec expedit causam sententiæ exprimere: quia communiter pro Judice præsumitur. *c. 16. h. t.* Exprimi autem debet in causa appellationis, quando prima sententia revocatur. *c. 18. h. t.* Item in causis criminalibus, præsertim excommunicationis, vel quando ab instantia judicij absolvitur reus ob ineptum libellum, vel quando ab instantia absolvitur, & per patronos causæ stetit, quominus potuisset causa definiri, vel quando Judex recedit à Jure Communi, vel à consuetudine recepta. In his, & similibus casibus solet causa sententiæ exprimi. *Durand. in Specul. tit. de Sentent. §. 4.* Sententia debet esse juri conformis. Si enim contra jus, vel Legem claram, & expressam, vel contra consuetudinem, vel statutum profertur, est ipso jure nulla. *c. 8. h. t. L. 5. C. de Legib. c. 64. de Reg. jur. in 6. L. 1. l. 12. tit. 22. p. 3.* Sententia tamen lata contra jus litigatoris, & merita causæ, si non sit notorie injusta, nec error contrarius juri in ea exprimat, valida est. *c. 9. c. 13. h. t. L. 32. ff. de Re judicat.* quia in dubio pro Judice præsumitur. *c. 7. de Probation.* Et nisi condemnatus appellet transit in rem judicatum. Sed hæc præsumptio cessat, si error juri claro, & indubitato contrarius exprimat: v. g. si Judex pro-

nuntiet, pupillum posse testari, quia minor 14. annis testari valet: vel si sententia sit notorie injusta: nam tunc etiam invalida est. *c. 9. h. t. ibi: Nec ei debet fieri, si iniquitatem contineat manifestam.* Sententia lata contra minorem, sine curatore etiam nulla est. *L. 1. tit. 25. p. 3.* Quod si sententia feratur contra privilegium valida est. *c. 21. h. t.* quia si privilegium non fuit exhibitum, nec debuit, nec potuit Judex secundum illud judicare: si fuit exhibitum censetur reprobatum à Judice.

257 Deinde sententia debet ferri cum causa cognitione, & juris ordine servato. *L. 4. C. de Sentent. & interloc. c. 24. h. t. l. 12. tit. 22. p. 3.* Et sanè quæ de Jure Naturali requiruntur, ut citatio partis, ut se defendat, etiam R. Pontifex servare debet. *c. 19. h. t. c. 1. de Causi. posses. L. 12. tit. 22. p. 3.* quæ verò Jure Positivo sunt introducta, ut litis contestatio, libelli oblatio, vel quod sententia in scriptis feratur, & alia hujusmodi, non debent necessario à Pontifice, vel Principe Supremo servari, quia ipsi sunt supra omne Jus Positivum, nec ipsi dependent à jure, sed jus dependet ab ipsis. *c. 4. de Conces. prebend.* Ad sententiam audiendam debent litigantes citari, & quidem expressè ad audiendam sententiam, vel trina citatione, vel una peremptoria. *Cl. fin. h. t. l. 5. tit. 22. p. 3. l. 7. l. 8. l. 9. C. Quomod. & quand. jud.* Sententia tamen contra reum, etiam absentem lata, si ipse post contumaciam nolit comparere, valida est. *L. 5. tit. 22. p. 3.* Si ex justa causa non potuit comparere, & hoc judici constet, non debet sententiam proferre, quod si proferrat erit nulla. Si Judex causam ignoret, sententia valet; sed retractatur, si causam justam non comparendi litigans, qui absuit, probet coram ipso Judice. *c. 18. h. t.* Si notorie constet, reo nullam defensionem competere, valet sententia contra eum absentem, & non citatum prolata; *arg. c. 21. de fur. jur. c. 12. h. t. L. 9. tit. 22. p. 3.* Præterea sententia debet scribi, ut non possit occultari partibus ejus tenor. *C. fin. h. t. in 6. L. 2. l. 3. C. de Sentent. ex brevicol. l. 5. tit. 22. p. 3.* & ne possit à Judice corrigi, postquam prolata est: & præcipue, ut de ea in posterum, & semper constet. Non tamen scribitur, si causa est levis, vel notoria; *arg. c. 21. de fur. jur. vel si ita ferat conclusio: nec interlocutoria debet necessario in scriptis profertur. L. 2. t. 22. p. 3.* Quando igitur res de qua controversitur est parvi momen-

menti, non conuenit, quod sententia in scriptis proficeretur, ut sic pauperum expensis obviaret. Et ita pro nostra Hispania est stabilium in *L. 6. tit. 22. part. 3. E. esto seria quando la demanda fuesse de quantia de diez maravedis ayusoré sobre cosa que non uaielle mas de esta quantia, mayormente quando tal contienda, como esta, uacaciese entre omnes pobres, & viles. Et Greg. Lop. ibid. notat. N. Diez maravedis, quos inteligo aureos Castellanos. Sed hodie ex *L. 24. tit. 9. lib. 3. R. C.* hac summa debet esse mille marapetinorum, & corrigitur. *L. 19. eiusd. tit.* In Indijs non debet fieri procellus nisi summa controversia excedat pretium viginti argenteorum. *Hispani: Venite pesos, L. 1. tit. 10. lib. 5. R. Ind.* Insuper ut iudicibus debita exhiberetur autoritas, & ut innuatur, sententiam ledere, & deliberato animo esse ferendam, debet iudex ad eam in causa ordinaria (secus in summaria. *Cl. 2. de V. S.*) ferendam, pro Tribunali sedere: nec debet eam, itando, vel decambulando, pronuntiare. *L. 5. l. 12. tit. 22. p. 3.* alias nullius momenti erit sententia. *C. fin. b. t. in 6. item ex scripto, quod periculum, seu breuicium dicitur in l. tit. C. de Sentent. ex pericul. vel breu. sul. recitand.* debet profertur, & quidem ore iudicis. *C. fin. b. t. in 6. l. 5. tit. 22. p. 3.* alias nullius momenti erit, nec erit necesse ab ea appellare. Episcopi vero, & alij iudices illuiter possunt suas sententias per alios publicare. *C. fin. b. t. in 6. l. 5. tit. 22. p. 3.* In nostra Hispania iudices Ordinarij Saculares, *Hispani: Corregidores, & Alcaldes*, cum consilio alicujus Advocati, qui est Athesor in causa, profert in scriptis sententiam, & uterque subscribit, de quo fides facit Tabellio, & ipse postea partibus eam notam facit. Et tunc respondent, vel in illam le consentire, vel ab ea appellare; vel nullam esse dicunt. Et idem debita proportione in alijs Tribunalibus seruat. Debet praterea profertur non in loco inhonesto, sed in loco publico, & honesto. *L. 12. tit. 22. p. 3.* Et quidem si iudex est Ordinarius in loco, in quo Tribunal habet, pronuntiat sententiam, alias nullius momenti est. *L. 11. ff. de Just. & jur. l. 12. tit. 22. p. 3.* nisi de plano procedatur, vel partes litigantes consentiant, vel causa pertineat ad jurisdictionem voluntariam, vel si iudex sit Episcopus, qui per se, vel per alium in quolibet loco non exempto suae Dicecesis potest sententiam ferre. *c. 7. de Offic. ordin. in 6.* Delegatus tamen ad unam, vel alteram causam, cum*

certam sedem non habeat potest aliquem locum honestum eligere, sicut, & aronem si delegatus sit ad universitatem causarum, quia Ordinario aquiparatur: jus dicit in loco delegatus. *L. 59. ff. de iudic.* Deinde, non est pronuntianda sententia in die feriato. *c. 1. de Ferijs, L. fin. C. eod. nec de nocte, sed de die. c. 24. de Offic. delegat. L. 5. tit. 22. p. 3.* quia tenebrae aptae sunt ad fraudes, & qui male agit, odit lacem iuxta veritatem Evangelicam, nisi necessitas, vel consuetudo aliud exigant. Et debet profertur eo die, & hora, ad quam partes citatae sunt, alias non valet. *L. 5. §. 1. ff. Quod vi, aut clam.* Et licet de Jure Civili sententia feratur in procuratorem, si ipse litem suscepit. *L. 1. C. de Sentent. & interlocut.* & sic regulariter contingat: nam sententia feratur contra eum, qui litem est contestatus, jure tamen Canonico contra Dominum potest pronuntiar. *c. 9. de Probation. & alias saepe.*

258 Iudex in pronuntianda sententia non debet procedere voluntaria precipitatione, quae nocera iustitiae dicitur, sed matura discretionem, quae mater virtutum nuncupatur. *Cl. 2. b. t. Nil vindicet otium, nec favor usurpet, timor exaulet, praemium, aut expectatio praemij iustitiam non exortat, sed stacram gestet in manibus, lances appendat aequilibramine, Deum in omnibus praeculis habeat. c. 1. b. t. in 6.* Et ut ait Eleutherius Papa: *judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discurrere. c. 11. 30. q. 5.* omnes circumstantias pendere debet, ut omnibus simul inspectis ad rei veritatem perveniat. Quippe ut bene ponderat Horatius: *Intererit multum, Davusque loquatur, aut veros: Maturusne senex, an addit florente juvenit a servidus, an Matriona potens, an sedula matris, Mercatorne vagus, cultor ne virentis agelli: Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.* Et quia saepe fit in jure mentio de circumstantijs, conveniens duxi senel hoc radicatus explicare. *Circumstantia sunt accidentia individualia humanorum actuum. D. Thom. 1. 2. q. 7. art. 1. qui postea in corp. ait: Inde est, quod nomen circumstantia ab his, quo in loco sunt derivatur ad actus humanorum: dicitur autem in localibus aliquid circumstare, quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat eius secundum locum. Et ideo quaecumque conditionis sunt extra substantiam actus, & tamen attingunt aliquomodo actum humanum circumstantia dicuntur: quod autem est extra*

substantiam rei ad rem ipsam pertinens, accidens ejus dicitur: unde circumstantia actuum humanorum accidentia eorum dicenda sunt. Et postea art. 3. eas enumerans ait: *Tullius in sua Rethorica assignat septem circumstantias, quae hoc versu continentur. Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando: considerandum est enim in actibus, quis fecit: quibus auxilijs, vel instrumentis fecerit: quid fecerit, ubi fecerit, cur fecerit, quomodo fecerit, & quando fecerit. Sed Aristot. in 3. Ethicor. addit aliam scilicet, circa quid, quae à Tullio comprehenditur sub quid. Et ratio hujus annumerationis sic accipi potest. Nam circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen, ut aliquomodo attingit ipsum, contingit autem hoc fieri tripliciter. Uno modo in quantum attingit ipsum actum; alio modo, in quantum attingit causam actus: tertio modo, in quantum attingit effectum. Ipsum actum attingit, vel per modum mensurae, sicut tempus, & locus: vel per modum, qualitates actus, sicut modus agendi: ex parte autem effectus, ut cum consideratur quid aliquid fecerit: ex parte vero cause actus quantum ad causam finalem accipitur propter quid: ex parte autem causa materialis, sicut objecti accipitur circa quid: ex parte vero agentis principalis accipitur quis egerit: ex parte vero cause agentis instrumentalis accipitur, quibus auxilijs. Juxta hanc doctrinam Angelice ab Angelico traditam tanquam aureo filo in singulari materijs discurrere potes.*

259 Sententia à iudice lata, aliquando non transit in rem judicatam, quia condemnatus appellat ab illa. De quo in sequenti titulo. Aliquando tamen transit in rem judicatam: quando scilicet illa condemnatus ipsi acquiescit, vel expressè, vel tacite, non appellando tempore opportuno. *c. 15. b. t.* Vel quando appellatio non admittitur, vel declaratur deserta. Tanta equidem est rei judicate auctoritas, ut pro veritate habeatur. *L. 207. ff. de Reg. jur. l. 19. tit. 22. p. 3.* Nec retractatur ratione erroris calculi, qui provenit à partibus. Sed si in sententia sit manifestus error calculi, non valet sententia in quantitate, in qua est error: in alijs tamen sententia tenet. *L. 19. tit. 22. p. 3.* Cum igitur praesumptio pro auctoritate rei judicate sit juris, & de jure probationem in contrarium, etiam per instrumenta noviter reperta excludit. *c. 21. b. t. l. 56. ff. de Re judicat. in negotio tamen publico nova instrumenta admittuntur. L. 35. ff. de Re judicat.* Sic rescindi-

tur sententia contra Regem, vel ejus Procuratorem lata infra triennium, imò si probetur; quod sententia fuit lata contra Regem dolo Procuratoris ejus semper potest rescindi. *L. 19. tit. 22. p. 3.* tunc est in causis privatorum, nisi in instrumento noviter reperto consistat de alia sententia contraria prius lata, quae transierit in rem judicatam. Nam secunda illi opposita est invalida, proindeque nulla gaudet auctoritate. *L. 13. tit. 22. p. 3.* Etiam retractatur sententia lata. 1. si pars victrix declaret, se non habuisse jus in causa, in qua victrix evasit. 2. favore ultimae voluntatis admittitur Testamentum contra priorem sententiam, à qua non est appellatum intra decennium: sicut transactio, & Testamentum retractantur per Testamentum noviter repertum. *L. 3. §. 1. ff. de Transact. l. fin. C. de Reb. credit. 3.* si producantur instrumenta à minori; arg. *L. 36. ff. de Minor. vel ab Ecclesijs; arg. c. 1. de in Integr. restit.* secus est, si à majoribus etiam ex iusta causa producantur. *L. 4. C. de re judicat. 4.* si quis probet, se non potuisse instrumenta, quae nunc producit, antea producere, quia ea perdidit, vel quia non potuit ea consequi ab habente illa. 5. si sententia lata fuit propter jumentum partis, retractatur; si postea inveniat instrumentum, in quo contrarium constat. *L. 19. tit. 22. p. 3.* Adeo igitur magna est vis, & auctoritas rei judicate; ut dici solet communiter, quod facit ens, de non ente, de nigro album, de albo nigrum, ex indebito debitum, & jus ex non jure. *c. 13. b. t. l. 19. tit. 22. p. 3. ibi: Afinado juicio, que dà el Judgador entre las partes derechamente, de que non se alce ninguna dellas, fasta el tiempo que dice en el Titulo de las alzadas; hà maravillosamente gran fuerza, que dende adelante son tenidos los contendores, è sus herederos de estar por él. Quam quidem vim tribuit Republica rei judicate ob bonum publicum, & ut finis litibus imponatur: adeo, ut si postquam res transit in rem judicatam debitor, in cujus favorem lata est sententia, ex novis instrumentis cognoscat, se debitorem esse, probabiliter sit tutus in conscientia: ut ex fundamentis dictis, & alijs textibus tenent Joan. Andr. Hostiens. Gonz. in c. 7. b. t. n. 5. & 6. & alij. Sed verius est, quod in conscientia renetur debitum solvere, quoties agnoscat, se verè illud debere. Auctoritas namque rei judicate licet debitorem per sententiam absolutum reddat securum in foro externo, non tamen in interno: nam cum*

fundetur in præsumptione: & ipse debitor clare cognoscat veritatem debiti, huic veritati debet illa præsumptio cedere: quod non obscurè comprobatur. *Ex c. 2. de Purgat. vulgar. l. 2. ff. de Condict. sine caus. l. 60. ff. de Condict. indebit. Et tenent expressè Goshfred. in d. l. 60. Soto de Just. & jur. lib. 3. q. 4. art. 5. & alij.*

260 Judex de quacumque causa cognoscat, postquam sententiam definitivam tulit, functus est officio suo. *L. 55. ff. de Re judicat. ac proinde nec ipse, nec ejus in officio successor, possunt sententiam latam revocare, nec in melius corrigere quoad negotium principale, nec etiam quoad accessoria, etiam si non sit appellatum ab ea intra decennium: nec pretextu erroris, modo iste sententiam non invalidet: & quamvis eam esse iniquam manifestè cognoscant, dum tamen valida sit. *L. 2. l. 3. tit. 22. p. 3. ibi: Pues que una vez lo ovieren bien, o mal juzgado, non lo pueden volver, nin mudar aquel fuer, que lo juzgò, si non fuere el Rey, o el Adelantado Mayor de su Corte.* Quod si nulla sit, potest ipse Judex eam revocare: quia nullitèr agens non censetur fungi suo officio. *L. 4. C. de Accusation. Potest tamen Judex eodem die suam sententiam declarare, vel supplere: v. g. imponendo restitutionem fructuum, si hoc omittit. *L. 42. ff. de Re judicat. potest verò interlocutoriam revocare, nisi in casibus expressè prohibitis. Dies autem, quo potest supplere, vel declarare definitivam, debet intelligi de die judiciali, non verò de naturali 24. horarum. *L. 3. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. sententia à Principe lata, si non processit de plenitudine potestatis, nec per modum dispensationis in Lege, vim Legis habet, & secundum eam debent judicare inferiores Judices. *c. 19. h. t. l. fin. C. de Legib. sententia tamen ab inferiori Judice lata, nec respectu aliorum Judicum Legem facit. *L. fin. C. de Legib. l. 12. tit. 22. p. 3. Nec jus facit, nisi respectu litigantium, & successorum utriusque in re, de qua lata fuit sententia. *L. 19. tit. 22. p. 3. alij verò regularitèr nec prodest, nec nocet. *L. 63. ff. de Re judicat. c. 25. h. t. l. 20. tit. 22. p. 3. etiam si eadem causa sit, vel par ratio, vel jus simile: nam alie personæ alias, & alias defensiones possunt habere; arg. *L. 14. l. 22. ff. de Exception. rei judicat. Nec alteri per alterum iniqua debet inferri conditio. *L. 74. ff. de Reg. jur. c. 22. eod. in 6. nisi forte jus tertij à jure litigantis pendeat. Sic sententia declarans, oppignorantem non esse Domi-**********

num rei, quam oppignoravit, etiam facit pignoris jus in illo, qui eam pignore accepit, evanescere. *L. 31. ff. de Pignor. & hypoth. vel si causa sit individua, vel connexa cum causa decisa. Sic sententia lata pro socio prædij communis super servitute debita prædio, alijs socijs prodest. *L. 4. §. 3. ff. Si servit. vindicet. vel si aliorum interfit sententia lata. Si citati legitime, noluerunt comparere: secus si non fuerint citati, iudici tamen potest illis purgatio Canonica. Vel si ille, cui principaliter actio competebat, patiatur, sequentem agere. Vel si ille, qui causam ab alio habet, patiatur, cum agere nulla facta protestatione: v. g. si creditor super fundo sibi oppignorato patiatur, debitorem, à quo causam habet, agere: quia tunc videtur, in sententiam consentire: ac proinde illi sententia nocet. *c. 25. h. t. in his igitur casibus sententia pro uno lata contra alium alijs prodest, & nocet. *L. 20. l. 21. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. ubi plures casus referuntur cum Textibus concordantibus.****

261 Sententia, quæ est ipso jure nulla, non transit in rem judicatum, etiam si ab ea non appellent litigantes. *L. 2. C. Quam. provocat. non est neces. siquidem, quod nullum est, nullum producit effectum. c. 8. de Jur. Patronat. Talis est sententia lata à Judice carente jurisdictione. *L. 12. l. 15. tit. 22. p. 3. vel si lata sit contra jus, & Leges. *L. 12. tit. 22. p. 3. vel contra Procuratorem carentem mandato, vel lata ex probationibus reprobatis: v. g. per duellum, ferum candens, aquam frigidam, vel ferventem. *c. 2. de Purgat. vulgar. vel si sit contra confessionem ab adversario factam, etiam post decendium à sententia. Nec in causa matrimoniali transit sententia in rem judicatum. Nam matrimonium non ex sententia Judicis, sed ex mutuo consensu contrahentium valore accipit: nec semel validè contractum rescindi potest sententia Judicis, cum omnino indissolubile sit. *c. 7. c. 10. c. 11. h. t. l. 13. tit. 22. p. 3. Nec in rem judicatum transit sententia lata ex juramento necessario, quod à Judice parti delatum est, altera quidem parte invita, in defectum probationum. Nam si postea falsitas juramenti probetur, retractatur. *L. 31. ff. de Jur. jur. l. 13. tit. 22. p. 3. secus est, si sententia ex juramento judiciali feratur: quia cum hoc ex utriusque partis consensu procedat, habet vim transactionis, quæ non retractatur, etiam si novum instrumentum reperitur. *L. 19. C. de Transact. l. 31.*******

*ff. de Jur. jur. Idem est, si sententia lata sit ob falsa instrumenta, vel testes, vel aliam quamcumque falsitatem: vel si probetur, Judicem pecunia, aut dono fuisse corruptum: Tunc quidem potest usque ad viginti annos sententia retractari: oportet tamen probare, quod Judex pronuntiaverit ob tales falsas probationes. *L. 13. tit. 22. p. 3. Nec lata ex præsumptionibus nisi sint juris, & de jure habet omnimodam firmitatem. *Arg. *L. 34. C. ad Leg. Jul. de Adulteri. Idem dicit de lata ex consilio, vel dictamine aliorum artificis: Nam si peritiora postea contrarium judicent, retractatur. Nec sententia censura excommunicationis, suspensionis, & interdici: quia excommunicatus etiam post decendium concessum ad appellandum, potest petere absolutionem, imò, & conquiri de injusta excommunicatione, non per appellationem, sed per simplicem querellam. *c. 36. de Offic. delegat. c. 48. de Sentent. excom. Sententia quidem in causa beneficiaria, licet transeat in rem judicatum in præjudicium beneficiati contradicentis sententia lata. *Arg. c. 32. de Election. non transit in rem judicatum in præjudicium Ecclesiæ, ob hujus favorem: nec item si periculum imminet peccati, ut imminet intrafalo. *Arg. c. 7. h. t. & contra victorem potest à quocumque opponi de nullitate tituli, vel à Judice ex officio inquiri. *c. 46. in f. de Appellation. Nec in casibus criminalibus potest executi sententia, quandocumque apparuerit, etiam privata Judicis scientia, innocentia rei per evidentiam facti. Et ipse Judex potest, etiam inconstituto Principe, revocare talem sententiam. *L. 1. §. 27. ff. de Question. l. 4. tit. 30. p. 7. Et ibid. Greg. Lop. V. Debelo quitar. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 15. n. 9. quamvis securus est Principem consulere. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 468. Ille contra quem tres sententia definitivæ conformes in quacumque causa, etiam criminali, dum non sit capitalis, imò, & interlocutoria super eodem articulo sunt lata, & si de eorum nullitate velit agere, non auditur prius quam executio fiat: hæc tamen facta de nullitate agere valet, ut sic calumnijs, & moratorijs litigantium occurratur. *Gl. 1. h. t. nisi sit sententia in causa capitali: Nam cum hæc semel executioni mandata irreparabile damnum asserat, prius de ejus nullitate, quam de ejus executione agendum est. Etiam suspenditur executio trium sententiarum conformium, si nullitas sit notoria, vel si victor patia-***********

tur, quod victus nullitatem probet: vel si tertius pro suo interesse se opponat, & de nullitate agat.

262 Postquam sententia in rem judicatum transit, proceditur ad executionem, quæ est ultimum sententia complementum. Et quidem quando reus est absolutus, non est necessaria specialis sententia executio. Nam cum ipse rem in sua potestate habeat, non est quid executioni mandetur, præter id quod ipse amplius non molestetur in rei peritione, & forte quod actor condemnentur in expensis. Quando verò reus damnatur, tunc profecto est necessaria executio sententia: non tamen est facienda ab ipso victore: imò si propria autoritate eam exequatur, actione facti, & vi bonorum raptorum renetur. *L. 6. §. 2. ff. de Re judicat. Nec item potest exequi à Judicibus compromissarijs, nec ab arbitris juris: quia solum dantur ad cognoscendum, & pronuntiandum. Debet ergo fieri executio à Judice Ordinario. *L. 15. ff. de Re judicat. l. 4. tit. 21. lib. 4. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 2. §. 12. n. 4. Quod si debitor sit de fuga suspectus, & non adest Judex, potest apprehendi ab ipso creditore: sed intra 24. horas debet illum Judici præsentare. *L. 10. tit. 15. p. 5. l. 2. tit. 13. lib. 8. R. C. Judex enim Ordinarius, qui sententiam tulit, ipse eam exequi debet: quia jurisdictione sine aliqua coercitione inanis esset. *L. fin. §. un. ff. de Offic. ejus. Et quidem eam exequitur, etiam si pars damnata appellasset, si tamen appellationem deseruit: quin etiam ipse de deseritione cognoscit. *Hevia in Cur. Philip. p. 2. §. 12. n. 3. Si à sententia in prima instantia lata appelletur, & hæc sententia sit revocata à Judice appellationis, vel etiam expressè confirmata, ipse Judex appellationis eam exequitur: quia ad ipsum per appellationem devolvitur jurisdictione: Si verò Judex appellationis tacite tantum sententiam confirmet: v. gr. pronuntiando, appellationem desertam, ipse Judex à quo eam exequitur. Quippe apud eum manet jurisdictione perinde, ac si appellatum non esset. *L. fin. §. 4. C. de Tempor. appellat. Solet etiam aliquando executio sententia alijs committi ab ipso Judice Ordinario, & talis dicitur Executor. Et quidem si merus est, quia sola cause jam decisa executio sine aliqua cognitione committitur, nullas potest exceptiones admittere, quæ impediunt sententia executionem: sed eam in effectu exequi debet: etiam si privata scientia sciret, sententiam esse inias-******

tam. c. 28. §. Quia de Offic. deleg. nisi causa sit capitalis. Nam tunc non tenetur eam exequi, cum occidere innocentem sit intrinsecè malum: vel etiam si nullitèr sit lata in causa civili, quia cum tunc non transeat in rem judicatam, non est exequenda. L. 4. §. 6. ff. de Re judicat. vel si sciat, esse formalitèr, & non tantum materialitèr injustam: quia scilicet Judex dolo, vel imperitia male judicavit. Vel non secundum allegata, & probata: Nam cum tunc cesset præsumpcio pro justitia sententiæ, Executor eam exequendo cooperaretur tali injustitiæ. Extra hos quidem casus merus Executor debet sententiam ad litteram exequi, quin de exceptionibus, si quæ à parte opponantur, cognoscat: alias sui muneris limites excederet, & falsè in messem immitteret alienam. L. 6. l. 8. C. de Execut. rei judicat. Alièr verò dicendum est de Executorè mixto, cui scilicet, non solum executionis, sed etiam cognitio de executione faciendi committitur. Hic etenim potest cognoscere, & pronuntiare de exceptionibus executionem impedièntibus, vel retardantibus. Si exceptiones merita causæ concernant, & sententiam directè impugnant de eis mixtus executor cognoscit: Si frivola sunt, eas repellit, si justa in executione supersederet, & eas examini Superioris remittit. L. 75. ff. de judic. Executio ergo in causis criminalibus, saltem capitibus, postquam sententià transijt in rem judicatam, non est differenda. In Nostra Hispania tres dies indulgentur reo, ut se ad mortem Christianè disponat. Nam postquam subscripta est à Judice, reo à Tabellione intimatur, & statim reducit ad quoddam cubiculum, quod capella dicitur, quia habet altare in quo Missa pro Incarceratis celebratur: & ex tunc numquam ei copia confessorij dedit. Et secundo die Eucharistiàm suscipit per modum Viatici, & die sequenti furca suspenditur, vel alièr morte punitur. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 17. ex n. 13. L. 9. tit. 1. lib. 1. R. C.* In actione tamen reali, quam primum debet reus tradere rem ipsam, de qua est controversia, & in ea quidem si extat, est faciendâ executio. L. 4. §. 3. ff. de Re judicat. Nec satisfacit debitor, si pignora det, etiam majoris pretij. c. 6. h. t. quia aliud pro alio invito creditorè nequit solvi. Idem est in actione personali, si condemnatur reus rem v. gr. emptam tradere, vel si ex maleficio condemnatur, vel si pecuniam paratam habeat, vel si periculum est in mora: In his enim casibus,

quam primum debet fieri executio. L. 31. ff. de Re judicat. In alijs debitis, & actionibus personalibus quadrimestre ad solvendum conceditur. c. 15. h. t. c. 26. de Offic. delegat.

203. Modus procedendi in executione, seu in via, quam ab executione, *executio* dicimus, sic, præcipuè in Nostra Hispania, ordinatur. Postquam sententià transijt in rem judicatam, petitur executio. Idem est quando instrumentum publicum præsentatur, quod habeat paratam executionem, præcipuè si guaranteegium est. Idem etiam evenit, quando scriptura privata à parte recognita est. Virtute ergo vel sententiæ, vel instrumenti, creditor per se, vel per Procuratorem petit coram Judice executionem talis sententiæ, vel instrumenti. Tunc quidem Judex instrumentis inspectis, absque citatione partis adversæ interponit mandatum de exequendo, *Hispanè: Mandamiento de execucion, y apremio*: quo, scilicet, executionem, juris ordine servato, fieri jubet in personam, & bona debitoris. *Hispanè: Embargo de persona, y bienes*. Et hoc mandatum traditur cuidam Nuntio, *Hispanè: Alguacil, ó Ministro*: Hic enim vi illius mandati simul cum Tabellione caput bona debitoris usque ad quantitatem debitam, *Hispanè: Trabar execucion*. Et quidem primo capere debet mobilia: quod si nulla mobilia sint, vel insufficientia, progreditur ad immobilia, & denique ad jura, & actiones. Et hæc bona annotantur, & sequestrantur, seu deponuntur apud bonum virum. *Hispanè: Hacer inventario, ó sequestro*. Quinimo, & debitor carceri mancipatur, si non dat fidejussorem eviçionis, *Hispanè: De saneamiento*, qui fide jubet, seu cavet, bona esse debitoris, & fortè sufficientia ad solutionem tempore additionis. Postea verò illa bona publicè à præcone proclamantur, mobilia quidem, tertio quoque die, non verò immobilia, ita ut in publicatione mobilium decem, in immobilium publicatione triginta dies percurrant. Communitèr tamen debitor præconijs renuitiat, ita tamen, ut ipsorum tempus in ejus utilitatem cedat. Nec est necesse, reum citare ad præconia, sed ipsis datis solum citatur ad sententiam additionis, *Hispanè: De trance, y remate*: quia citatione facta tres dies debitori conceduntur, intra quos se possit executioni opponere: quod si se opponat, alij decem dies ipsi indulgentur. *Hispanè: Se le encarga los diez dias de la Ley*. Intra quos exceptio-

nes, si quas habet, & opponere, & probare tenetur. Et quidem debet opponere, vel solutionem debiti, vel aliam legitimam exceptionem. Si enim frivola, vel non legitimam opponat, repellitur. Et in hoc etiam spatio se debet opponere, & comparere tertius, ut dicitur, oppositor: Si scilicet aliquis præterdat, se in bonis debitoris præferendum esse creditoribus, cujus favorem sit executio: quia bona publicata, esse sua dicat, vel si melius jus ad ipsa habere intendat. Sic frequenter solet se opponere uxor debitoris allegans, se priori jure esse pro sua dote in illis bonis præferendam alijs creditoribus. Comparent igitur aliquo tertio oppositore, suspenditur judicium executivum, & ordinarium incipit discutì inter oppositorem, creditorem, & debitorem, quod quidem usque ad sententiam definitivam progreditur. Quo peracto, & finito, vel si nullus fuit tertius, qui se opponeret, progreditur judicium executivum, & decem diebus elapsis Judex profert sententiam definitivam, qua quidem, si est in rei favorem, decernit Judex, quod reo pignora, & bona deposita reddantur: imò, & expensæ restituantur, in quas tamquam temerarius litigator debet condemnari creditor: ac per consequens omnino absolutus manet à judicio executivo. Si vero in creditoris favorem sit ferenda sententia, jubet Judex, quod in executione ulterius procedatur, & bona in publica subhastatione vendantur majori licitatori addicenda. *Hispanè: Se saquen al pregon en publica almoneda, y si rematen, y den al mejor ponedor*. Ut ex eorum pretio satisfiat creditor: Hic tamen debet prius cautionem præstare de eo, quod pecuniam cum duplo restitueret, si sententia additionis revocetur à Judice appellationis. Sed numquam hæc poena cum tanto rigore ad praxim redacta est, fortè quia casus non evenit, ut notat *Arcevedo*. Hæc enim cautio dicitur: *La fianza de la Ley de Toledo. L. 2. tit. 21. lib. 4. R. C.* Prædicta tamen additionis sententia, facta prædicta cautione, executioni omnino est mandanda, nulla obstante appellatione: Nam si hæc interponatur tantum effectum devolutivum, non verò habet effectum suspensivum. Et quidem executio fit pro debito principali obtinendo, & insuper pro salarijs, seu expensis, & sportulis, seu decima parte debiti, quæ aliquando juxta locorum varias consuetudines, solvitur Ministro executori: sed hoc non ubique servatur.

464. In oppignoratione bonorum prius à mobilibus, quam ab alijs debet exequens incipere. Res etenim mobiles prius sunt oppignorandæ, & distrahendæ, vel etiam creditoribus juxta debiti quantitatem adjudicandæ: Si res mobiles non sufficiant, ad immobiles venitur, & tandem, alijs deficientibus, ad jura, chirographa, & actiones. L. 15. §. 2. ff. de Re judicat. Hoc enim ordine distrahuntur, seu venduntur: quod si emptor non inventiatur, ipsi creditoribus pro debiti solutione adjudicantur. L. 15. §. 2. ff. de Re judicat. Sunt tamen aliqua bona, quæ à jure sunt ab executione exempta. Talia sunt vestes, lectus, & alia, quæ ad usum quotidianum debitoris deserviunt. Item Libri Scholasticorum, & advocatorum, arma, & equi, quibus indiget debitor ad suum quotidianum usum, instrumenta agricultura, vel alterius cujuslibet artis, quatenus sunt debitori ad se alendum necessaria. Item servi, qui laborant in fodinis metallorum, & in sacchari officio in Indijs. Item stipendia Militum, judicum, & Sacerdotum, nisi illud, quod congruè superstit sustentationis. Naves, quæ à Regnis extraneis asportant merces, & alia necessaria ad usum, & utilitatem Regni. Theatra, domus Capitulares, & alia loca publica: res Sacræ cultui Divino dicatæ. Sacella, sepulchra, jus patronatus, & alia hujusmodi, nisi veniant in cumulo bonorum. Servitutes reales sive rusticæ, sive urbanae, vel servitus personalis utius: & præcipuè debitoris cadaver. Bona uxoris nequeunt capi, nec sequestrari pro debito mariti, nec bona particularium pro debito Civitatis, vel Universitatis, nec bona majoratus pro debito possessoris, redditus tamen illius possunt capi ad satisfaciendum debito: Similiter pro debito usufructuarij possunt capi redditus usufructus, licet in ipso usufructus jure nequeat fieri executio. Deinde plures funt personæ, quæ pro debito, non proveniente ex delicto, non possunt incarcerari. Tales sunt Clerici in Sacris, & omnes illi, qui non possunt in solidum conveniri, sed solum in quantum facere possunt. Ut socius pro debito societatis, ascendentes, pro debitis, quæ descendentes debent. Nobiles, *Hispanè: Hidalgos*. Doctores, vel Licentiati cujuslibet facultatis, & cujuslibet Universitatis approbatæ: Advocati in albo advocatorum scripti, etiam si tantum sint Baccalaurei. Milites, mulieres, illi, qui bona incendio, naufragio, terræmotu, vel alio casu amiserunt. Agricola-

tempore mēsis, & alij hujusmodi. Si tertius pro suo interēse agens executioni se opponat, si tempore legitimo à sententia appellavit, suspenditur executio, donec causa sit decisa. *c. 17. b. t.* quia illi non nocet res inter alios acta. Si non appellavit, quia ignoravit causam agi, & sententiam esse latam, impeditur executio. Si scivit, sententiam esse latam, & non appellavit, neutriquam impeditur executio. Nam sibi debet ille tertius imputare, eo quod cum posset, noluit impedire, ne sententia in auctoritatem rei judicate transtisset. Denique sententia additionis lata in via executiva non causat exceptionem rei judicate quoad viam ordinariam: ac proinde facta reali executione, & cum effectu, remanet reo executio salva via ordinaria, si nolit ab executione appellare, ut notat *Acevedo in L. 1. tit. 21. lib. 4. R. C. n. fin. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 21. n. fin.* Quæ omnia habentur in *Tit. 21. lib. 4. R. C. Et ibid. Acevedo, Pichardo in Manduct. ad Prax. p. 2. Hevia in Cur. Philip. p. 2. per tot. Paz in Praxi, tom. 1. p. 4. cap. 1. & seqq.* qui de his latissime agunt: mihi tamen non licet diutius immorari: quia longa restat via.

265 Audacia, & temeritas litigatorum, qui sine prava diligentia, nec causæ examine lites movent, debet absdubio iustis poenis coerceri. V. g. Si litigans intentato petitorio transeat ad possessōrium illo suspenso, vel si libellum mutavit, vel liti repantiavit, & in alijs casibus, qui arbitrio Judicis relinquuntur, censetur temerarius litigator, si nulla causa legitima excusetur: Et coercetur modo pecuniaria poena, modo juramento calumnie, modo infamiae poena. *Pr. Instit. de Poena temer. litigant.* regulariter ergo temerarius litigator damnatur solvere victori expensas litis: non quidem voluntarias, sed necessarias, sive personales, sive processuales. Personales censentur illi, quæ in itinere, & sumptibus testium sunt facta: processuales vero, quæ in litis prosecutione fiunt; Sicilicet in Tabellionum, & Advocatorum iustis stipendijs solvendis. *L. 8. tit. 22. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. En las costar.* Si tamen aliquis ex litigantibus sit Advocatus, & vincat, non sunt ipsi solvendæ expensæ, quas faceret, si alius Advocatus cum defenderet. Siquidem verè eas non fecit. Si pars petat, adversarium in expensas condemnari, vel expressè hoc petendo, vel tacitè, implorando, scilicet, officium Judicis, ut sibi fiat iustitia omni meliori modo, quo possit, tene-

tur Judex cum in expensas condemnare, alias teneatur eas victori relatare. *L. 13. §. 6. l. 15. C. de Judic.* Si tamen à parte non petatur, potest quidem Judex ex officio, sed non teneatur, eum in expensas condemnare. *L. 25. §. 8. ff. de edilit. edit.* Nam ad ejus officium spectat temeritatem litigatorum reprimere: quod si semel definitivè in expensas condemnavit, non potest suam revocare sententiam: gravatus tamen in taxatione appellare potest. Si per sententiam interlocutoriam condemnavit, potest revocare, & corrigere taxationem. *Durand. in Spec. tit. de Expens. §. 6. n. 3.* Post litum tamen finitam non possunt peti expensæ. *L. 3. C. de Fructib. & lit. expens. quia post absolutum, dimissumque judicium nefas est litem alteram consurgere ex liti prima materia.* In nostra Hispania victus excusatur ab expensarum condemnatione præstando juramentum calumnie, ex *L. 8. tit. 22. p. 3.* sed hæc Lex praxi ipsa interprete, intelligitur de casu, quo non temerè litigatur, vel si aliunde non constat de litigans calumnia. *Greg. Lop. ibid. V. La jura.* Expensæ quidem debent à judice taxari. *L. fin. tit. 22. lib. 4. R. C.* sed si litigantes sint pauperes ad expensas litis non teneantur, nec pro eis possunt in carcere detineri. *L. 20. & seq. tit. 12. lib. 1. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 18. ex n. 9.* si tamen victus non temerè, sed ex justa causa litigavit, non est condemnandus in litis expensas; *arg. L. 78. §. 2. ff. de Legat. 2.* Nam causa justa ab expensarum solutione eum liberat; *arg. §. 1. Inst. de Poena temer. litigant: v. gr. si pro se habeat sententiam saltem unius celeberrimi Doctoris, vel si suam intentionem, vel exceptionem simplicem probavit.* Reus tamen in causa criminali non condemnatur in expensas: quia quolibet modo licet proprium sanguinem defendere. Si causa controversa valde difficilis sit, & pro utraque parte, Juribus, & Doctoribus fulcita, non condemnatur victus in expensas, etiam si in prima, & secunda instantia succumbat. Quippè talis error probabilis censetur, nec potest dici temerarius litigator. *c. 48. de Sentent. excommunicat.* Et per consequens à solvendis expensis excusabitur, qui in prima instantia vicit, licet sit victus in secunda, facta quadam expensarum compensatione.

266 Si pars, contra quam fuit lata sententia, velit probare, eam nullam esse, hoc debet facere coram eodem Judice causæ, in judicio quidem contradictorio cum

cum adversario. *L. 1. C. de Sentent. & interloc. c. 2. de Purgat. vulgar. L. 1. tit. 26. p. 3. Paz in Praxi, tom. 1. p. 1. temp. 12. ex n. 5.* quod si Judex pronuntiet, illam sententiam esse validam, non potest litigans amplius agere de hujus novæ sententiæ nullitate, sed debet ab ea appellare. Et tunc à sententia in gradu appellationis lata non datur recursus nec per viam nullitatis, nec per appellationem, ut sic finis litibus imponatur. *L. 2. tit. 17. lib. 4. R. C. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 18. n. fin.* De causis ob quas sententia nulla potest dici, & ad nullitatem agi, latè tractatur in *tit. 26. p. 3. & tit. 17. lib. 4. R. C.* Et quidem nullitas de Jure Communi potest adversus sententiam opponi perpetuo. *L. 1. C. Quand. provocar.* Idem erat olim de jure Hispano. *L. 4. tit. 26. p. 3.* scilicet tamen hodie. Nam solum potest nullitas opponi intra sexaginta dies enumerandos à die intimationis sententiæ. *L. 2. tit. 17. lib. 4. R. C.* nisi forte nullitas proveniat ex omnimoda incompetencia. Hæc namque quocunque tempore potest opponi. Idem est de quacunque nullitate notoria ex actibus constante, ut ex defectu citationis. Nec est necessè à tali sententia appellare: potestque opponi etiam contra tres sententias conformes. *L. 3. & seq. tit. 26. p. 3.* nisi tales sententiæ sint late in Regijs Cancellarijs. *L. 4. tit. 17. lib. 4. R. C.* ibi: *Y que asimismo en todos los casos, y negocios, que conforme à las leyes de nuestros Reynos, las Sentencias dadas por los del nuestro Consejo, y Oidores de las nuestras Audiencias, se han de executar, sin embargo de suplicacion: aquello se entienda asimismo, sin embargo de qualquiera nulidad, aunque se diga, y alegue ser de incompetencia, ò de defecto de jurisdiccion, ò de que notoriamente consta de los Autos del processo, ò en otra qualquiera manera, que la tal alegacion, oposicion, ò otra qualquiera no pueca, ni pueda impedir la execucion de las tales Sentencias.* Et ibid. *Acevedo. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 2. ex n. 83. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 18. ex n. 13.*

## T I T. XXVIII.

## De Appellationibus, recusationibus, &amp; relationibus.

267 **A**ppellare in communi Grammaticorum usu idem est, ac *vocare*. Sic dicitur, quod filius Regis

vocatur, vel appellatur Ferdinandus. *Appellare* verò apud Philosophos est aliquid terminum applicare potius ad unum, quam ad alterum ex his cum quibus ponitur. Sic cum dicimus: *Alexander est magnus Philosophus.* *Ly magnus* applicatur Philosopho. E contra vero quando dicitur: *Alexander Magnus est Philosophus.* *Ly magnus* Alexandro applicatur. Et sic dicitur, hoc, vel illo modo appellare. In jure quidem aliquando sumitur pro eo quod est *vocare in judicium*. Frequentissime tamen sumitur prout in præsentibus, tenet pro *provocare*. Et hac ratione communiter appellatio sic definitur. *Appellatio est ab inferiori ad superiorem Judicem ob gravamen illatum, vel inferendum legitime facta provocatio.* *L. 17. ff. de Minorib. l. 1. tit. 23. p. 3. ibi: Alzada es querrela, que alguna de las partes face de juicio, que fuesse dado contra ella, llamando, è recorriendo se à emmienda de mayor Juez.* Et quidem oppressis est saluberrimum remedium, non tam jure, quam ipsa natura introductum, ut gravamen oppressis illatum, vel inferendum removatur. *c. 15. b. t.* & ut corrigatur iniquitas, vel imperitia judicantium. *L. 1. ff. b. t. l. 1. tit. 23. p. 3.* Et insuper, ut litigans, qui per ignorantiam, vel negligentiam est læsus suum damnum reparat. Ipsa etenim est defensio innocentie: adeo, ut *D. Bernard. ad Eugenium*, dicat. *Fateor, grande, & generale inundo bonum esse appellationes, idque tam necessarium, quam solem ipsum mortalibus.* Et Rex noster Alfonso, in Proemio. *Tit. 23. p. 3. ait: Onde por esto decimos, que bien assi como los que peligran sobre mar, han muy gran conorte quando fallan alguna cosa en que se traven, ò lugar à que arriben, por cuidar entonces de aquel peligro: Otrrosi los que van vencidos de sus enemigos, quando llegan à lugar en que asnan de ser defendidos de aquellos que los siguen para matarlos: bien otrrosi ban gran conorte, è gran folgura aquellos contra quien dan los juicios de que se tienen por agraviados quando fallan alguna carrera, porque cuidan esforcer, ò ampararse de aquellos de quien se agravian.* Hinc licet appellatio quoad solemnitates, & modum, sic Juris Civilis, quoad substantiam tamen est Juris Naturalis. *c. 5. de Exception. Pichardo in Manduct. ad Prax. p. 4. in preclud. n. 26.* Appellatio est duplex: alia extrajudicialis, judicialis alia. Extrajudicialis est, qua quis appellat à quocunque privato, qui gravamen infert, vel est paratus inferre, ut in præsentatione, collatione, vel electione. *c. 19. c. 29. de Election. c. 5. c. 46. c. 51. b. t.* vel in delatione mu-